

*[Faint handwritten text on a small label in the top left corner, likely a library or collection mark.]*



Sammelbd

Quint. 1. Teil

13 Alph. 13 beginn

DEI  
*ET*  
MAIORUM GRATIA  
TITULUM  
CRUCIS CHRISTI

*exhibet*  
SUB PRÆSIDIO  
M. JOH. JACOBI FREIESLEBII,  
EISENBERGA-OSTERLANDI,  
IMMANUEL GEORG,  
ULMA-SVEVUS.

*Addiem Aprilis Hor. matut.*

In Auditorio Philosophico.

---

Charactere JOH. JACOBI BAUHOFERI,  
ANNO M DC LXIV.

DEI  
MAIORUM GRATIA  
TITULUM  
GRATIS CHRISTI  
SUB PRASIDIO  
M. JOH. JACOBI PERESTERII  
IMMANUELIS BRUGGII  
in Auditorio Philologico

CHRISTOPH. JOM. JACOBI BARTHOLICUS  
ALEX. V. DO. GANT. PH. D.  
ALEX. V. DO. GANT. PH. D.  
ALEX. V. DO. GANT. PH. D.  
ALEX. V. DO. GANT. PH. D.





A & Ω.

## PRÆLOQUIUM.



Uanta cum utilitate in sacris ver-  
sentur literis, qui animum cognitione  
vel mediocri tantum Antiquitatis im-  
butum ad easdem afferunt, abundè à  
multis diffusè doctis Viris hæcenus o-  
stensum est, ut prorsus frustra laborare  
iste videretur, qui prolixius id osten-  
dere anniteretur. Quò verò manife-  
stissimum illius exemplum habeamus, aspiciamus modò Pas-  
sionem Dominicam; in ea enim multa occurrunt, quæ non  
vulgari, sed aurificis, quod ajunt, statera expendenda sunt:  
Non igitur alienum à studiis nostris fuerit, si ex pluribus u-  
nicum tantum hac vice perpendamus, & *Titulum Crucis* Chri-  
sti Eruditioribus censendum proponamus. Id ergò dum  
facimus,

Votum secundes, qui potes, nostrum Deus,  
rebusque lassis adsis!

§. 1. *Moris erat apud Romanos, si quis ad mortem vio-*  
*lentam condemnatus erat, ut Titulus seu causa mortis bre-*  
*vibus indicaretur verbis aut Præconis voce; aut Scripto,*  
*quod Reo vel præferebatur, vel etiam appendebatur.*

§. 2. *Tituli prioris generis exemplum præbet Spartia-*  
*nus in Severo cap. 2. cum ait: Severum in proconsulari*  
*Africæ legatione quendam municipum suorum, qui eum*  
*præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse*  
*plebeius amplexus erat, fustibus cecidisse, sub hoc Præconis*  
*elogio:*

LEGATUM POPULI ROMANI HOMO PLEBEIUS  
TEMERE AMPLECTI NOLI.

A 2

Alexan-

Alexander quoque Severus, ut est à *Lampridio in eius vita* cap. 51. proditum, per Præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat:

QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE  
FECERIS.

Idem Imperator *Vetronium Turinum*, tanquam fumi venditorem, in foro Transitorio ad stipitem ligari præcepit, & fumo apposito, quem ex stipulis & humidis lignis fieri iusserat, necavit, Præcone dicente:

FUMO PUNITUR, QVI VENDIDIT FUMUM,

Similiter *Ambrosius*, uti testatur idem *Lampridius* cap. 36. *Serm. 90.* ludicem narrat *Agnem* virginem spoliari & nudam ad lupanar duci iussisse, sub hac voce Præconis:

AGNEM SACRILEGAM VIRGINEM, DIIS BLA-  
SPHEMIAM

INFERENTEM, SCORTUM LUPANARIBUS  
DATAM.

*Gallienum* etiam *Trebellius Pollio in vita illius* c. 12. scribit, cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset ejus uxori, atque illa, re pro dita, vindicari vellet, surripi quasi AD LEONEM venditorem iussisse; deinde cavea caponem emitti, mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per *Curionem* dici iussisse:

IMPOSTURAM FECIT, ET PASSUS EST.

Huc referri possunt etiam illi versus *Horatii*, quibus *Mecenam* insectatur *Epod. 6.*

*Sectus flagellis hic triumviralibus*

*Præconis ad fastidium.*

*S. 3.* Tituli prælati exemplum suppeditat nobis *Eusebius L. V. Eccles. Hist. cap. 1. de Attalo* Martyre. Circumactus est, inquit, per amphitheatrum tabella eum præeunte, in qua Latine scriptum:

HIC EST ATTALUS CHRISTIANUS.

*Caligula* etiam, teste *Svetonio*, Romæ, publico epulo, servum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit, ut manibus abscissis atque ante pectus à collo penden-

den-

dentibus, precedente titulo, qui causam poenae indicaret, per  
coetus epulantium circumduceretur.

Tituli appensi vel appositi exemplum invenitur apud an-  
te cit. *Svetonium in Domitiano cap. 10.* ubi: *Patrem familias,*  
*inquit, Thracem Myrmilloni parem, munerario imparem dixe-*  
*rat, detractum è spectaculis in arenam, canibus objecit cum hoc*  
*titulo:*

#### IMPIE LOCUTUS PARMULARIVS.

Sic Statuis Neronis ad collum titulus appositus est, quem  
tanquam parricidam ad supplicium poscebant. *Svetonius in*  
*Ner. cap. 45.* Collis & ascopera deligata, simulq; titulus:

EGO QUID POTUI? SED TU CULEUM MERUISTI,

Et quæ sunt exempla similia plura, quæ ab aliis peti possunt.

§. 4. Sic moris erat apud Romanos. Ex hoc more nunc  
Romulidos oræ moderator, *Pilatus*, postquam Judæi Salva-  
torem nostrum JESVM CHRISTVM apud ipsum de scele-  
re nefando, seditione scilicet, accusarant, dicentes *Luc. 23, 2.*  
*Hunc deprehendimus evertentem gentem, ac vetantem tributa da-*  
*re Cesaris: dicentem, se Christum Regem esse;* Salvator etiam  
ad mortem damnatus erat, Titulum causamque mortis Ejus  
(quamvis nulla adfuerit; unde & Persa notanter addidit: &  
*prætextum mortis ejus charta inscripserunt*) scripsit Lingvâ  
Græcâ apud *Johannem cap. XIX, v. 19.* ita sonantem: *Ἰησοῦς ὁ Να-*  
*ζωραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων*, h. e. *Jesus Nazarenus Rex Judæo-*  
*rum.* Scriptus autem erat Titulus hic tribus Lingvis, uti re-  
fert *Lucas c. 23. 38.* cum dicit: *Ἦν δὲ καὶ ἐπιγραφή γεγραμμένη*  
*ἐπ' αὐτῷ γέγραμσιν Ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαίοις καὶ Ἑβραίοις.* it. *Johan-*  
*nes cap. 19, 20.* *καὶ ἦν γεγραμμένον Ἑβραῖσι, Ἑλλήνισι, Ῥωμαῖ-*  
& erat scriptum *Ebraicè, Græcè & Latinè.* *Ebraicè* quidem,  
ut explicat *Plur. Rever. Ampliff. atq; Excell. Dn. Joh. Ernestus*  
*Gerhard. SS. Theol. D. & P.P. celeberrimus hujus Salana, Præ-*  
*ceptor & Promotor meus magni æstimandus in Comment. super*  
*Matth. cap. cit. p. 1207. ob lingvæ hujus sanctitatem, Græcè ob*  
*sermonis illius familiaritatem, Latinè ob Imperii Romani majesta-*  
*tem.* Velut *Hugo Grotius in h. l. explicat: Latino sermone*



hæc *διττά* scripta ob majestatem Imperii: Hebraeo, ob locum, in quo supplicium sumebatur: Græco ob maximam turbam Hellenistarum, quæ ad Pascha convenerant, quamquam alioqui Græco sermoni à Macedonicis temporibus & in Palæstina Judæi vicinæ, gentes assueverant. Vel ut Jacobus Gretserus Tom. I. de Cruce Christi cap. 28. pag. 78 interpretatur: Quod Pilatus Hebræis literis titulum scripsit, id ob Judæos fecit, apud quos crucifixus est Dominus: Quod Græcis & Latinis; id fecit communi Romanorum consuetudine, qui Senatusconsultis & decreta, quæ ad posteritatis memoriam durare volebant; Latinis & Græcis literis non raro scribebant.

§. 5. Hic, antequam ad ipsam Tituli explicationem progressum faciamus, ventilanda venit Quæstio: *Utrum verba hujus tituli fuerint scripta, an cælata?* Nos, qui vestigia sequimur Virorū edecumatae eruditionis, defendimus prius, & quidem ducti testimonio I. scripturæ infallibilis, quæ conceptis verbis illud statuit. Sic enim dicit D. Johannes cap. XIX. v. 19. ἔγραψε δὲ καὶ πύλον ὁ πιλᾶτος. & paulò post v. 20. ἦν γεγραμμένοι ἐβραϊσὶ, ἑλληνιστὶ, Ῥωμαῖστι. it. vers. 21. μὴ γέγραφε; nec non v. 22. ὁ γέγραφα, γέγραφα. Neque aliter reliqui Evangelistæ, qui omnes causam criminis scriptam, non cælata[m] fuisse sat clarè innunt. Hoc enim volunt, ἀιτία γεγραμμένη causa scripta, Matthæi, cap. 27. v. 37. ἐπιγραφὴ ἐπιγεγραμμένη, inscriptio inscripta Marci cap. XV, 26. & Lucæ ἐπιγραφὴ γεγραμμένη, inscriptio in scripta cap. XXIII. v. 38.

§. 6. II. Huic Scripturæ testimonio accedit & illud, quòd tabulæ illæ, quas damnatis Romani apponebant, scriptæ, indeque Agathicæ γεγραμμένα σαριδες dictæ sint; nequaquam verò sculptæ, nedum eo cælaturæ genere, quæ anaglypha dicitur, cælata, quo extantes literæ ostenderentur. Quòd autem fuerint ex lignæ dealbata vel cerussa, vel gypso, vel creta, in quibus literæ encausto vel atramento exarabantur, satis apparet ex earum tum Græca, tum Latinâ appellatione. *Sozomenus* enim appellat λευκωμα, dum dicit, refer. *Salmasio*, p. 266. καὶ χωρὶς ἄλλον ξύλον ἐν τάξει λευκώματος, ῥήμασι καὶ γεγραμμένοι ἐβραϊκοῖς, ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαϊκοῖς; *Nicephorus* vocat λευκὴν σαρίδα;



δα; Latini ALBUM. Vnde album Pratoris, album Curia  
 album Judicum, album citharædorum, Pontificis maximi album,  
 in Jure & apud alios autores. Sic cum Attalus Martyr  
 violentam mortem cogebatur pati, prælatum est ei titulus, in  
 quo, attestante Eusebio Lib. V. cap. 1. scriptum erat (ἐγγεγρα-  
 πτο) Latine: HIC EST AITALVS CHRISTIANVS. Et  
 autor est Dio, servum quendam in crucem esse actum, μετὰ  
 γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανάσεως δηλῶσαν, cum literis, quæ  
 causam mortis aperirent. Vbi titulum vocat γράμμα, à scri-  
 ptura, quomodo & Nonnius dixit Joh. XIX. v. 19.

Καὶ πλάτος ἦν τὸν ἐπέγραφε μάρτυρι γόμφῳ

γράμμα, τὸπερ καλεῖται λατίνιδι τίτλον ἰωῆ.

Et Pilatus visibilem scribit testificante stylo

Inscriptionem, quam vocant Latinâ titulum voce.

§. 7. III. Consentientes habemus ex veneranda Anti-  
 quitate (1.) Prudentium in Apotheosi ita canentem:  
 Pilatus jubet ignorans, tu scriba tripicis  
 digere versiculis, quæ sit suffixa potestas.  
 (2.) Sedulium L. IV. Oper. Pasch. concinentem:  
 Scribitur & titulus, hic Rex est Judæorum.  
 (3.) divinum Oratorem Chrysostomum: (4.) Patrum omni-  
 um accuratissimum, Augustinum, qui ambo constanter titu-  
 lum scriptum dicunt: (5.) Cyprianum, vel quicumque autor  
 sit Libri de Sina & Sion, qui in Cypriani operibus Tom. III.  
 extat, dicentem: Pontius Pilatus impulsamente à Deo, ac-  
 cepit tabulam, & titulum scripsit tribus linguis &c. (6.) Nicephe-  
 rum, qui Lib. VIII. cap. 29. inventionem sanctæ crucis de-  
 scribens, titulum non modò ab Helena repertum narrat,  
 quod & Ambrosius in Fun. Theod. Socrates lib. 1. cap. 13. & alii  
 referunt, sed & eum συνίδα λευκὴν nominat, literisque à Pilato  
 fuisse notatum exerte adjicit, quæ eo tempore jam diffu-  
 xerint.



§. 8. Licet autem hæc satis manifesta esse videantur, a-  
 critter tamen contrarium defendit Vir aliàs in omni erudita  
 doctrina summus, Daniel Heinsius in Aristarcho suo, quando  
 pag. 198. dicit: Non dubitandum est, quin in hac Domini inscri-  
 ptione

ptione, qua insculpta fuit tabula &c. it. ibid. Cui & insculptum  
fuit, ἀγίασμα κυρίου. Porro pag. 504. Fuit calatura, quam  
ἐκτετυπωμένον γραφίδος Hellenistæ dicunt, quod è plana superficie  
ductus eminent, non refugerent.

§. 9. Sed ad hoc, salva tamen autoritate tam acuti & ce-  
leberrimi Viri, brevibus respondeo, hanc rationem vix con-  
sistere posse, quia calatura multum temporis requirit. Nunc  
autem inter condemnationem & supplicium Salvatoris no-  
stri pauxillum intercescit, (ante condemnationem enim fuis-  
se paratum titulum nondum est probatum, nec verisimile.)  
E. apparet, intra breve illud temporis spatium calaturam  
non fieri commodè potuisse. Accedit, quòd Judæi, post-  
quam elaboratum titulum viderent, à Pilato petant, ut illicò  
alium conficiat, vel conficiendum curet. Quod itid. fieri non  
potuisset, si calatura fuisset.

§. 10. Inquis: interim Romæ hodiè exhibetur Titulus Crucis  
Dominicæ, qui in templo S. Crucis religiosè colitur, quem  
Marcus Velserus, Reipubl. Augustanæ Septem-Vir dicit fuis-  
se ligneum, ferro sculptum, non calamo exaratum, characteri-  
bus rudibus, ut in re subita. Ast respondetur: Hic ti-  
tulus est commentitius, sicut ostenditur ab autore libri de  
Spoliis, exuviis & Reliquiis Sanctorum Romæ editi Ann.  
M. D. XXV. quem Lectioibus suis memorabilibus inse-  
ruit VVolfius Tom. 2. p. 233. Ita enim c. l. scribit: Crux  
Christi ab Helena, Constantini Imperatoris matre, inven-  
ta antiquitas credebatur & adhuc hodiè crux eadem Hie-  
rosolymis creditur esse, quam tamen Helena divisit, & Fi-  
lio suo Constantino partem Constantinopolin, ubi adhuc  
esse dicitur, misit, alteram autem Hierosolymitano Epi-  
scopò argento incrustatam transmisit. Sed statim respon-  
det: Mendacium olet hoc valdè grande: insuper & hoc  
evincit, nullam omninò crucem Christi reperiri, quod  
tam innumerabiles portiones & frustra partim in univer-  
so orbe, in omnibus templis & monasteriis ostenduntur, quæ  
pluris fiunt ac Jesus Christus Dominus ipse, ut ex iis pro-  
pmodum sexcentæ cruces confici possint. Consule Ca-  
saub.

*Casub. Exercit. IX. tm. 3. Exerc. XVI. tm. 86. Montacutum  
Antidiatri. fol. 173. & 218. Capell. Vindictis Casaub. lib. 3. cap.  
VII. ac alios, qui Pontificiorum Reliquias accuratè excu-  
serunt.*

§. 11. Postquam igitur Titulus Crucis Dominicæ à Pi-  
lato scriptus (non cælatus) erat, ponebatur iste supra caput  
crucifixi Jesu, sicuti id testatur S. *Ambrosius L. X. in Lucam,*  
cùm ait: *Meritò supra crucem titulus, quia non humani cor-  
poris, sed divina potestatis est regnum, quod habet Christus. Me-  
ritò supra crucem titulus, quia licet in cruce erat Dominus Jesus,  
suprà crucem tamen Regis majestatem radiabat.* Et quidem  
juxta Cl. *Salmasium* posita est tabula Tituli non transversa,  
sed erecta adinstar *στάνης*, ut tituli sepulchrorum collocari so-  
lebant. Hoc igitur modo imposita fuerit supra caput  
Christi . non sic .

§. 12. Verba quod attinet Tituli, quorum supra §. IV.  
mentio facta est, tria in iis indicantur: 1. Nomen: 2. Pa-  
tria: 3. Causa mortis. *Nomen est Inſſſs*, quæ vox vulgò red-  
ditur *Salvator*: Romanè *Servator*: *Tertulliano de Carne  
Christi, Salutificator*: ex *Apuleio, Solpitor*. Quamvis au-  
tem vox *Salvator* apud probatos linguæ Latinæ Autores  
non reperiat, (nisi quod in vet. inscriptione apud Gru-  
terum pag. XIX, 5. Inter Jovis cognomina est:) censuerunt  
tamen Sancti Patres & Ecclesiæ Doctores eo melius nomen  
*Inſſſs* seu *σωτηρ* exprimi, quàm vocabulo *Servatoris*, quia  
ut ipse Cicero agnoscit, Græcum *σωτηρ* & *σώζειν* plus signifi-  
cat, quàm Latinum *Servator* vel *servare*.

§. 13. Cùm autem dignissima omnibus Christianis ha-  
beatur accurata nominis Jesu consideratio: non malè age-  
mus, si in ejus Etymon inquiramus. Omnium optimè autem  
explicat illud cœlestis Nuncius *Matth. I. v. 21.* sic namque  
ille ad Josephum: *Vocabis nomen Ejus Jesum, ipse enim sal-  
vum faciet populum suum à peccatis eorum.* Juxta hoc igitur  
effatum descendet vox *Inſſſs* à *Yſſ* salvavit, servavit. Utrum

B

autem

autem rectius deducatur ex יהושיעו five יהושע, uti vult *Flacius* Part. 2. Clav. Tract. 6. pag. 361. §. *Septima*; an ex יושע, quod & legitur in V.T. Esr. 3, 2. & habetur simul in Evangelio Ebræo Matthæi, quod vulgo circumfertur c. 1. it. in N.T. Syriaco, quod nunquã יהושיעו, sed semper יושע legit & scribit, (Quamvis Syri nonnunquam brevius legant יושע, siquidem, notante Baal Aruch in Lexico Thalmudico: Mos Linguz Syræ est elidere ה & y literas.) Unde & *Martinus* in voce Jesus inquit: Non dubito, יושע proprium Domini nostri nomen fuisse, ut patet ex titulo crucis, qui Romæ, iuxta *Pagninum*, asservatur: יהוה ישוע מלך היהודים i.e. *Hic est Ieschna, Rex Judæorum*; Autores dissentiunt. Interim quia videmus, nullum adesse discrimen, quantum ad rem, inter duas hasce voces, cum ambæ veniant à radice יושע; rem totam suis relinquimus Autoribus.

§. 14. Ab hac derivatione Vocis *Inçus* abeunt multi Patres, utpote *Basilus Magnus*, *Cyrillus Hierosolymitanus* & alii, qui statuerunt, τὸν Ἰησοῦν dictum esse à verbo Græco ἰάω, (in Fut. ἰάσω, ex quo ἰασῶς, & conversione α in η, Ἰησῶς) *fano*. Sic enim *Cyrill. Hierosol. Catech. 10.* Ἰησῶς ἔστι κατὰ μὲν Ἑβραϊστὶ σωτὴρ, κατὰ τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν, ἰάμενος, h. e. *Jesus secundum Ebræos quidem est Servator, secundum Græcam verò linguam, Sanans.* Videtur idem hoc velle *Epiphanius Heres. 29.* *Jesus*, ait, *in Hebraica lingua curator appellatur, aut medicus & Salvator.* Ast si quis hanc derivationem pro vera & genuina habere velit, errabit; cum Nominum Propriorum etyma, docente *B. Glasio Phil. S. Lib. IV. Tract. III. Observ. V. pag. m. 939.* nequaquam ex peregrina & aliena lingua deducenda sint. Sint tantum pro allusione, & non, exacta derivatione, ut loquitur *Celebratiss. Glasius c. 1. excusandus erit.* Usitatum enim erat apud Majores, ut in vocibus peregrinis satagerent aliquid invenire, quod earum significationi accommodarent. Sic dixerunt, ἰάμενος esse à Græco verbo ἰάω, (quod Hebræum origine est, à יָשַׁע *transitus*, Chald. נָשַׁע) *pator*, ut alluderent ad mysterium, quod



quòd Christus in Paschate Judaico passionem sustinuerit, & per eandem Judaicæ illi festivitati finem imposuerit. Vid. *August. Tract. 55. in Johann. ab initio.*

§. 15. Planè singularem autem sententiam fovet *Andreas Osiander* in Annotationibus ad suam Harmoniam Evangelicam, impressam Basileæ An. 1561. acriter contendens, vocem *Ihōs* non esse ex radice *ישע*, salvavit, sed ex nomine Tetragrammato *יהוה*, quod ipsum cùm fuerit antea ineffabile, insertâ ab Angelo littera *ש*, redditum sit effabile; factumque indè *יהשוע* & consequenter per contractionem, Latinæque terminationis aditionem, *Jesus*. Sic enim postea habet: *Hoc igitur sanctissimum & ineffabile nomen DEI יהוה assumptione unius liberæ ש fit effabile, sonatq; יהשוע, quem admodum absconditus & incomprehensibilis Deus, assumpto homine cœpit nobis esse cognoscibilis, vocatus hoc eodem nomine יהשוע, quod quidem esse verum ac proprium Christi, Domini nostri nomen, iisdem argumentis, quibus ego persuasus sum, aliis quoq; persuadere conabor. Ast fallit & fallitur. Nam 1. nomen Jehovah quatuor hisce scribitur literis יהוה, Ihōs autem quatuor planè diversis ישוע. 2. Nomen Proprium יהוה ipsam Dei essentiam innuit, & deducitur à radice היה esse: nam maximè Dei proprium est esse, & Ipse est Ens Entium primum & nobilissimum à se, in se, & à nullo alio dependens; at nomen ישוע ipsam Dei essentiam non denotat, sed salutem, juxta Angeli interpretationem. 3. Supponit *Osiander*, nomen יהוה fuisse olim ineffabile. Sed res hæc non ita certa est, ut iste sibi imaginatur. Nam ita *Isidorus lib. 7. Orig. Jod, He, Vav, He, ineffabile illud & gloriosum Dei nomen efficiunt. Dicitur autem ineffabile, non, quia dici non potest: sed quia finiri sensu & intellectu humano nullatenus potest, & quia de illo nihil dignè dici potest. Cùm igitur præsuppositum hoc dubium sit, dubia etiam fuerit sententia, quæ hoc potissimum innitatur.**

§. 16. Ut verò *Osiander* sententiam suam evehat, nostramque, quæ allata est §. 13. deprimat, hoc utitur ratiocinio: In vetustissimis Ebræorum monumentis *Ihōs* sive *Je-*

fus scribitur **ישו**. At fanē non potest hęc abbreviatio esse  
ex **יהושוע** vel **יהושע**, unde ipsis Jesus, sed ex **יהשו**.  
Verba ejus sunt: Principio satis constat, Christum Dominum  
nostrum in veteribus Hebraeorum monumentis, quę quidem ali-  
quid autoritatis obtinent, nusquam unquam **יהושוע**, sed semper  
et ubiq; **ישו** vocatum esse. Nec video, si **יהושוע** illi nomen fuis-  
set, quamobrem Judaei illud ita mutare, ac tam prodigiose muti-  
lare voluissent, ut pro **יהושוע** dicerent atq; scriberent **ישו**, præ-  
sertim cum litera **י** sine grandi flagitio non possit ex ulla dictione  
rejici. Igitur, quod in omnibus Judaeorum libris, tam constan-  
ter non **יהושוע** sed **ישו** scriptum cernimus, quis jam non vide-  
at, idem esse omnino, quod **יהשו**, nisi quod ה aspiratio utrobq;  
detracta est.

§. 17. Ex quibus verbis duo colligimus: I. quod Sal-  
vator noster in veteribus Ebraicis monumentis nunquam  
scriptus reperiatur **יהושוע**, sed usque **ישו**. 2. quod lite-  
ra **י** ex nulla dictione sine grandi flagitio rejici queat. De  
priori quamam sit sententia nostra, ex superiori §. 13. constat  
Ad posterius autem respondemus cum *Drusio*, id fieri ex an-  
tiqua consuetudine, quam Thalmudici familiarem sibi fece-  
runt. Elidebant enim ultimam, dicentes, **הוש** *Hose*, pro  
**יהושוע** *Hosea*, sive *Hosee*. Et sic etiam **ישו**, pro **ישוע**, *Jesua*,  
pro *Jesua*. Id quod difficultati pronunciationis, uti lo-  
quitur *Vir Max. Rev. Amplif. atq; Excellentiss. Dn. Christianus*  
*Chemnitius, S. Theol. D. P. P. in hac Salana, nec*  
*non Ecclesie & Dioceseos Jenensis Pastor & Superint. longē vigi-*  
*lantiss. Dn. Praeceptor & Promotor meus sanctē devenerandus,*  
*in Disput. quadam Philol. de Nomine Salvatoris nostri, Je-*  
*sus, An. 1643. habita, §. 16. adscribit Elias in Tisbi his ver-*  
*bis: Quia Judaei non credunt, quod ipse sit Servator, idcirco nolunt*  
*ipsum vocare ישוע, sed tollunt י. Est etiam dicendum, quod*  
*difficilis sit prolatu gentibus, ob id non proferunt in lingua sua*  
*ישוע, sed ישו. Atque hinc est, quod Judaei pronunciant ישו*  
*כלו, i. e. Ieschm absque Aijn. Nam ut Aben Esra ad*  
*Exod.*

Exod. 3. scribit: *Due litera y & n difficilima sunt pronuncia-  
tu, ut nemo illas facile pronunciarit, nisi qui a primis statim an-  
nis eorum pronunciationi se assueverit, sicuti preputiati.* Tollitur  
itaque ob difficultatem pronunciationis, usitatâ Apocope  
litera y, & dicitur ישי pro ישעי, non aliter ac eadem li-  
tera eliditur in שפ successus, pro שפיע. & aliis. Quod er-  
gò dixit *Osiander*, literam y non posse sine grandi flagitio  
ex ulla dictione rejici, aliquid humani perpeus est.

§. 18. Nomen excipit II. *Patria.* Appellatur *Salvator  
noster* in *Titulo Crucis: Nazareus* ab oppidulo obscuro  
& humili (in quo Ipsum Judæi natum mentiebantur *Iohan.  
1. 46.*) *Nazareth Galilææ inferioris, Josephi & Mariæ pa-  
tria, distant, uti annotat Excell. Dn. D. Gerhardus c. 1. a  
monte Thabor duarum horarum itinere circiter, Occiden-  
tem versus, ædificata in monte Luc. 4. v. 29.* De hoc oppi-  
dulo habet eruditas cogitationes *Iansenius*, dum scribit: in  
Tribu *Naphthali* est civitas, quæ vocatur *Hazor*, vel *En Ha-  
zor*, postea abbreviatione & deflexione quadam vulgo vo-  
cata *Nazor*, unde *Hebraico* more facile fit *Nazareth*, quasi  
civitas germinis, seu surculorum, *Matth. 2. 23.* Et hanc sen-  
tentiam approbat *B. D. Chemnitius cap. 14. Harmon. Evang.*  
Etsi *Arias Montanus* in *lib. Caleb*, seu de terræ promissæ par-  
tit. p. 8. & in tabula subjunctâ, *Nazareth* urbem tribui *Za-  
bulon*; alteram *Hazor*, ex *Ios. 19. v. 36.* tribui *Naphthali*  
adscribit. Vid. *B. Glass. Phil. S. Lib. IV. Tractat. 3. observ.*  
*XV. p. m. 993.* Ab hac Civitate, ut dictum, nominatus est  
*Nazaræus*, vel, ut in *Græco Textu* legitur, *Ναζωραῖος*, Circa  
quam vocem dubium movet *Celebratissimus Dilherrus* in  
*Corollar. II. Disput. IX. Tom. I. Disp. Philol. Academ. anne-  
xo, p. m. 324.* quando scribit: *An in Mattheo cap. 2. rectè  
scriptum sit Ναζωραῖος per ω, cum tamen precedat nomen urbis,  
à qua ita dictus, per α scriptum? Respondet statim: utrum-  
que rectum est: Syri enim urbem appellant נצר, Iudei vero  
נצרת quod & Ναζωραῖος & Ναζωραῖος legi potest. Scheva enim per*

a apud Syros sepe numero effertur, Camez verò Ebraei per a ob-  
scurum, Syri per o pronunciant.

§. 19. Denique III. sequitur *Causa mortis*, quæ conti-  
netur verbis in hisce: ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, *Rex Iudeorum*.  
Quamvis enim, annotat. *Excell. Dn. D. Gerharo* c. l. scelus  
planè nullum adfuerit, noluit tamen Pilatus, deesse quoque  
eius prætextum. Unde Persa notanter: *Et prætextum mor-  
tis ejus charta inscripserunt.* Æthiops suam magis pieta-  
tem, quàm Pilati, vel Sacerdotum mentem ac voluntatem  
expresfit, ita vertens: Et posuerunt super caput ejus inscri-  
ptionem, quæ fuit dicentium: *Hic est Rex Iudeorum, Domi-  
nus Iesus.* Nam quia Salvator se Regem appellaverat, &  
expressis verbis Pilato dixerat: *Tu dicis, quòd Rex sum ego.*  
*Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum;* idèò accusant  
Eum, *Johan. 18, 37.* Judæi apud Pilatum & petunt, ut ob hoc  
verbum puniatur. Dicitur autem βασιλεὺς, juxta non-  
nullos, quasi βᾶσις τῆς λαῶν, quòd in eo fundata sit populi sa-  
lus: *Rex* propter regimen & directionem. Regit autem  
nos homines, refer. *Johan. Fero in Johan. 468.*, in vita gra-  
tiæ, dirigit in vita gloriæ; *Rex est in vita & in morte.*

§. 20. *Vox Iudæus* juxta *Becmann. de Orig. Lat. Ling.* p. m.  
576. habet appellationem à Iuda, filio Iacobi Patriarchæ,  
tanquam eminentiore, & natu majore. De appellatione  
hujus populi, quando scilicet Judæi vocati sint, audiamus  
*longè celeberrimum & de universa Ecclesia perquam meritis-  
simum Theologum, Dn. GERHARDUM b. m.* qui in *Dispp.*  
*Elenchticis super Evang. Domin.* p. m. 101. de iis ita scribit:  
*Appellatio Iudeorum cœpit, cùm regnum Israel captivitati As-  
syriacæ manciparetur: occurrit enim primum sub Achaz 2. Reg.*  
*16, 6. antea vocabatur domus Iuda 2. Sam. 2, 10. & 3, 10. Cui*  
*sub Rehabeam tribus Benjamin accessit, & vocabatur regnum*  
*Iuda, cui decem tribus Israel erant oppositæ 1. Reg. 12. v. 17. &*  
*20. Progressu verò temporis appellatio facta est generalis eo-  
rum, qui ab Abrahamo descendentes Mosaicam fidem profiteban-*  
*tur:*




tur: *Quibus eo vocari nomine non ingratum erat, quia ex tribu  
Iuda Messias nasciturus promittebatur & sperabatur.*

§. 21. Postquam paulò latius *Titulum Crucis Christi* con-  
sideravimus, necesse est, ut ad finem properemus. Ante-  
quam autem abimus, lubet *Quæstionem* illam, quâ quæri-  
tur: *An Præco Crucem Christi simul præcesserit?* breviter ven-  
tilare. Sententiam Affirmat. defendit *Hieronymus Xavier*  
in *Historia Christi Persica*, ex Oriente per *Johannem Elich-*  
*mannum*, Virum multarum linguarum gnarum, in Belgium  
allatâ ejusdemque auspiciis, nec non studio *Ludovici de Di-*  
*eu* editâ ac Latine redditâ, quando sic scribit p. 473. & 474.  
*Eò modò è domo Pilati exiit, & viri Reges anteibant, & juxta*  
*eum apparitor prædicabat & dicebat: Hoc est mandatum Pilati*  
*à parte Cesaris Tiberii, ut hic vir Jesus Nazarenus occidatur,*  
*quia homines seduxit, seq. Regem & filium Dei vocavit. Causam*  
*cur crucifigeretur, ita in via prædicabant & transibant. Ast*  
*unde habes hæc Xaveri? an ex Scriptura? Illa tacet; an ex*  
*antiquo Patre? in iis nihil hæc de re invenitur; undè ergò,*  
*ex cerebro tuo? ita. Istiusmodi enim figmentis multis Hi-*  
*storiam Sacram de Passione Christi contaminavit impudens*  
*mendaciorum consarcinator, uti ex proximè præcedenti-*  
*bus & statim subsequenti-  
bus ejus verbis apparet. Sic enim*  
p. 469 *Flagellationem Christi exornat: Comprehensum*  
*Christum, in peculiarem locum abductum, denudatum, ac columna*  
*alligatum, è sex viris flagellationi destinatis duo alternatim pelli-*  
*ceis scuticis sic ceciderunt, ut sanguis in terram defluerit, caro*  
*corporis frustatim avulsa deciderit, & ossa alba conspicua fuerint,*  
*unum vulnus atq. una plaga totus erat, & cognitum fuit, quin-*  
*quies mille, septingenta, octoginta & aliquot flagra fuisse inflicta.*  
*Annon cominiscitur hîc aliquid audacia cerebri Xaveriani,*  
*quod nullibi invenietur? annon persuasum sibi habet, Ev-*  
*angelistas in enarranda Historia aliquid omisisse, dum cer-*  
*tum flagrorum numerum statuere nititur? Sic pag. ante*  
cit. 474. *pergit: Ibat Jesus pedibus & capite nudus, nisi quòd*  
*Spineam*

*Spiram coronam gestaret. Et dum isthoc pacto transfret, nobilis  
quedam foemina Veronica dicta, è fenestra prospiciens, eumq, ag-  
noscens descendit, ac mœsta, misericordiq, plena accedens, lin-  
teum triplicatũ capiti Christi applicuit, veniaq, ab ipso impetra-  
ta benedictam ejus faciem mundavit. Aperto autem linteo, tres  
Christi effigies impressæ hæserunt, quarum una in Hispania urbe Ja-  
hen in regno Portugallie reperitur, & multis eò confluentibus quot-  
annis bis ostentatur, pariq, modo eminus & cominus videtur. Altera  
est Mediolani, Tertia Rome. Quod hæc omnia cerebri humani  
fint, non Spiritus Dei, jam pridem multi Clarissimi Viri, in-  
terque eos præprimis Rainoldus, demonstrarunt. Chiffletius,  
refer. Ludovico de Dieu in Animadversion. super hæc verba  
pag. 620. de linteis Sepulchralibus Christi cap. 34. Sudarium  
quoque Veronicæ laudat, sed prorsus aliter. Noster enim,  
nempe Xaverio, Veronica est nobilis; illi religiosa. Noster  
Veronicam inducit, ac si è fenestra Christum adventantem vi-  
derit ac descenderit: ille ac si staret in foribus domus suæ. Noster  
dicit, quod Veronica applicuerit Christi capiti linteam triplica-  
tum & faciem ejus, impetratâ venia ab ipso, mundavit. Ille quod  
lineum capitis sui peplum Christo porrexerit, quo ipse faciem suam  
sudore & cruore diffluentem deterferit. Noster simpliciter  
statuit, aperto linteo tres vultus Christi effigies fuisse in eo conspe-  
ctas. Ille dubitanter ait: sunt, qui credant, velum illud ca-  
pitis Veronicæ oblongius, triplicatum fuisse, & imaginem divini-  
tus impressam, triplicem suscepisse. Ex quibus paucis allatis  
fatis constare autumo, pleraque, nisi omnia, Xaverii dicta,  
esse ficta & à sanioribus nunquam scripta. Quapropter me-  
ritò recedimus ab ejus sententia affirmativa, & defendimus  
negativam tamdiu, quamdiu nullæ magis acutæ & proba-  
biles rationes afferantur.*

*Et jam tantum est.*




153044

ULB Halle

3

003 484 998




5b

AB 153044

VD 17





55.

DEI  
*ET*  
MAIORUM GRATIA  
**TITULUM**  
CRUCIS CHRISTI

exhibet  
SUB PRÆSIDIO  
M. JOH. JACOBI FREIESLEBII,  
EISENBERGA-OSTERLANDI,  
IMMANUEL GEORG,  
ULMA-SVEVUS.  
*Addiem Aprilis Hor. matut.*  
In Auditorio Philosophico.

---

Charactere JOH. JACOBI BAUHOFFERI,  
ANNO M DC LXIV.

